



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 14. Hospitalii Cancellarii edictum circa secundas nuptias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

mulo, cujus præsentia ipsi permolesta
 acciderat, liberatum comperisset.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1560.

§. XIV.

*Hospitalii Cancellarii edictum circa
 secundas nuptias.*

Hoc anno Mense Julio Michael Hospi-
 talius Franciæ Cancellarius statu-
 tum promulgari jussit, quo suum utili-
 tatis publicæ studium manifestum red-
 didit, ac Leonis, & Anthemii Consti-
 tutionem hucusque in Galliis non re-
 ceptam innovavit: fanciebat enim, quod
 in eo casu, si mulier, quæ ex primo
 connubio liberos suscepit, ad secundas
 transfret nuptias, ex bonis mobilibus
 tam paraphernalibus, quam recens
 aquisitis haud amplius novo suo Marito,
 vel ejus prolibus, aut aliis personis su-
 spectis dare valeat, quam cuilibet ex
 suis propriis filiis, ut proin bona, cete-
 raque, quæ ex donatione, & primi
 sui Mariti liberalitate accepit, liberis
 ex eo susceptis conservare teneatur, nec
 quicquam ex iis novo suo Marito largiri
 possit: porro hæc lex extendebatur
 ad ea etiam bona, quæ ad Maritos
 ex conjugum liberalitate pervenerunt,
 ut ideo ejusmodi Mariti hæc bona ne-
 quaquam suis uxoribus secundis donare
 possint, sed ea primi thori prolibus re-
 servare adstringerentur. Hæc Constitu-

Thuan. l. 8.

Sæcul. XVI. A.C. 1560. tio Regii Senatus auctoritate unanimi omnium suffragio die quinta Augusti fuit comprobata.

§. XV.

Tolosani Senatus edictum adversus Arnaldum Tilius Impostorem.

*Thuan. l. c.
Spond. hoc
ann. n. 27.
Rocol. des
Impost. in-
fign.*

Priusquam hoc decretum fuisset editum, paulo ante Tolosanus Senatus adversus insignem quemdam fraudum Architectum aliam pronuntiabat sententiam, quæ tamen nonnisi decima tertia Septembris die fuit promulgata. Hic alienum ementitus nomen, vere appellabatur Arnaldus Tilius ex Panetto oppido ortus, seque Martinum Guerram esse simulabat, qui Handajæ in Vasconum Regione natus Bertrandum Rolfam ex Artigato Rivenfis Diœcesis oppido in Occidania sito Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo nono uxorem duxerat, ac cum ea per decem circiter annos conjugali societate fruebatur, postea autem in Hispaniam, atque inde in Flandriam delatus ibidem militiam profitebatur. Evolutis octo annis Arnaldus Tilius Artigatum delatus ad Bertrandæ ædes venit, seque ejus Maritum esse finxit: cumque corporis specie Martino simillimus esset, Bertranda inde decepta magis adhuc in suo errore firmabatur ob gaudii abundantiam